

Omelia VII. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio  
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.21vb-25ra)

Et congregans omnes principes sacerdotum, et scribas populi, interrogabat ab ipsis ubi christus nasceretur. Hii autem dixerunt in bethleem iudae.

Vides omnia in redargutionem effecta esse iudaicam? Donec enim non inspiciebant eum, neque ab emulatione inxpellebantur, cum ueritate testimonia enarrabant. Cum autem uiderunt a miraculis superuenientem eius gloriam, ab inuidia detenti ex tunc, prodiderunt ueritatem. Sed ueritas per omnia extollebatur, et ab inimicis ei maxime applaudebatur. Vide itaque et hic, qualiter mirabiles et inopinabiles dispensat res. Simul enim et discunt aliquid amplius a se inuicem, et docent se coalternatim, barbari et iudei. Iudaei enim a magis audiebant, quod et stella ipsum in persarum regione predicabat. Magi autem auideis discebant, quod hunc quem stella predicauit, et prophetae ante multa tempora antiquitus enuntiarunt, et interrogatio doctrinae manifestioris, et cercioris alterutrisque demonstratio facta est. Et ueritatis inimici, et eas quae pro ueritate erant, et nolentes coguntur legere litteras, et prophetiam interpretantur, etsi non omnem. Dicentes enim bethleem, et quod ex ipsa egredietur qui pascet israel, non **adhuc** apposuerunt quod deinceps est blandientes regi. Quid autem hoc erat? Quoniam exitus eius fuerant a principio ex diebus aeternitatis. Et cur ait si inde erat uenturus in nazareth post parturitionem morabatur, et obumbrabat prophetiam? Sed tamen non obumbravit sed et magis reuelauit. Hoc enim idem illic matre non existente semper hic natum esse, monstrat ex dispensatione rem factam esse. Propterea neque confestim cum natus est iuit, sed fecit hic dies quadraginta. Volentibus circumscribentibus, dans cum certitudine inuestigare uniuersa. Etenim et multa erant quae mouebant eos ad talem questionem si intendere uolebant. Etenim uenientibus magis, surrexit omnis populus, et cum ciuitate rex, et propheta in medium ducebatur, et iudicium conficiebatur maximum, et alia plura facta sunt ibi quae lucas cum certitudine enarrat omnia. Puta, quae secundum annam fuerunt et symeonem, et zachariam, et angelos, et pastores. Quae omnia intendentibus sufficientia erant tribuere occasiones eum qui natus erat inueniendi. Si enim qui a persida uenerunt magi non ignorarunt locum, multo magis qui illic morabantur, haec discere potuerunt. Monstrauit quidem igitur seipsum a principio, et per multa signa, et per multa miracula. Quoniam autem noluerunt uidere, occultans in medio tempore seipsum, rursus ex alio clariori principio seipsum reuelauit. Neque enim magi ex tunc, neque stella, sed pater desuper predicabat in iordanicis riuus. Et spiritus descendebat uocem illam trahens supra caput illius qui baptizabatur. Et iohannes cum libera presentia ubique iudaeae clamabat, orbem terrarum tali doctrina implens. Et miraculorum testimonia, et terra et mare, et creatura uniuersa, claram pro eo emittebant uocem. In tempore autem pressure tot facta sunt, quot erat decens quiescibiliter monstrare eum qui uenerat. Vt enim non dicant quoniam nescimus quando natus est, neque in **quo** loco, et omnia quae secundum magos fuerant dispensata sunt, et alia quaecumque diximus, ut nullam causam habeant, non querentes quod factum est. Intende autem et certitudinem prophetiae. Non enim dixit in bethleem, sed exiet. Quare et hoc prophetiae fuit nasci illic solum? Quidam autem eorum non sentientes, aiunt, de zorobabel haec dicta esse. Et qualiter utique habebit rationem? Non enim utique exitus eius fuerunt a principio ex diebus seculi. Qualiter autem quod in principio dictum est, quia ex te exiet, conueniet utique illi. Non enim in iudea sed

Commented [ND1]: [fol.22ra]

Commented [ND2]: [fol.22rb]

in babilonia natus est. Vnde et zorobabel uocatus est, quia illic seminatus est. Et quicumque syrorum nouerunt linguam, sciunt quod dicitur. Cum predictis autem et omne tempus quod post haec fuit **sufficiens** constituere hanc testificationem. Quod enim ait nequaquam minima es in ducibus iuda, et causam apponit huius dignitatis dicens, quia ex te exiit. Nullus enim alius clarum et illustrem illum uicem fecit, quam solus ipse. Post parturitionem itaque illum, a finibus orbis terrarum ueniunt, uisuri presepe et tugurii locum, quod antiquitus propheta presonabat dicens, nequaquam minima es in ducibus iuda. Hoc est in tribuum principibus. Hoc autem dicens, et ierusalem comprehendit. Sed neque ita intendebant, quamuis utilitas ad ipsos redundabat. Etenim propter hoc nusquam de dignitate eius disputant prophetae in principio tantum, quantum de beneficio quod ab ipso fiebat ad eos. Etenim cum peperit uirgo, uocabis nomen eius ait ihesum. Et inducit dicens. Ipse enim saluabit populum suum a peccatis eorum. Et magi autem non dixerunt ubi est filius dei, sed qui natus est rex iudaeorum. Et hic rursus non dixit, quia ex te exiit filius dei, sed precessor, qui pascet populum meum isreal. Oportebat enim et condescendendo disputare in proemiis, ut non scandalizarentur, et quae de salute eorum erant predicare, ut per hoc magis inducantur. Quaecumque itaque prima feruntur testimonia, et quorum **confestim** circa natiuitatem tempus erat, nichil magnum neque sublime de ipso dicunt, neque quale est quod post signorum est demonstrationem. Illa enim testimonia altius de dignitate eius disputant, quando nimirum post multa miracula, pueri hymnos in ipsum cantant. Audi quod ait propheta. Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. Et rursus. Quoniam uidebo caelos opera digitorum tuorum. Quod nempe conditorem monstrat omnium ipsum existentem. Et quod post assumptionem autem inductum est testimonium, eam quae ad patrem est honoris coaequalitatem demonstrat. Ait enim. Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis. Et ysaias autem ait, quia qui exurgit principari gentium, in ipso gentes sperabunt. Qualiter autem ait bethleem in ducibus iuda non esse minimam? Non enim in palestinam solum, sed et in orbe terrarum omni, illustre factum est hoc castellum. Sed tunc ad iudeos erat sermo. Ideoque induxit, pascet populum meum isreal, quamuis orbem terrarum pauit. Sed quod dixi non uult scandalizare interim eum qui de gentibus erat uelans sermonem. Et qualiter? non pauit ait populum iudaicum? Maxime quidem et illud factum est. Israhel enim hic dicens, eos qui ei crediderunt ex iudeis, aenigmatice insinuauit. Et hoc interpretans paulus dixit. Non enim omnes qui ex israhel sunt hii israhel sunt, sed quicumque per fidem et repromissionem nati sunt. Si autem non omnes pauit, hoc in eos est, reclamatio et accusatio. Cum enim oporteret eos adorare cum magis, et glorificare deum, quoniam institit tempus tale, omnia soluens eorum peccata, nichil enim de iudiciis audierunt, neque de noxiis, sed de mansueto et miti pastore, contrarium faciunt, turbantur et tumultuantur, et infinitas postea construunt insidias. **Tunc** herodes clam uocans magos, diligenter didicit ad eis tempus stellae quae apparuerat. Temptans interimere eum qui natus erat, quod ultime amentiae erat non insaniae solum. Etenim quae dicta et facta sunt, sufficientia erant ammouere ipsum ab omni tali **instantia**. Neque enim secundum hominem erant quae contingebant. Stellam enim uocasse magos desuper, et barbaros uiros tanta absentia missos esse ad adorandum eum qui in fasciis et presepe iacebat, et prophetas antiquitus haec omnia presonare, et alia omnia quae fiebant, maiora quam secundum hominem erant, sed tamen nichil horum eum detinuit. Tale enim quidem malicia seipsam impediens, et inutiles res perficere incipiens. Scrutare enim amentiam eius. Si enim credebat prophetiae et immobilem eam esse estimabat, manifestum quia impossibiles temptabat perficere res. Si autem non credebat rursus et non oppinabatur euenire quae dicebantur, formidare et timere non oportebat, neque propter hoc insidiari. Quare alterutrinque superfluum sermo erat, et non utique oppinari debuit in tantum insaniae incidere eos? Et hoc autem insaniae ultimae erat, estimare magos **eum** preponere ei qui

**Commented [ND3]:** est add. super lin.

**Commented [ND4]:** [fol.22va]

**Commented [ND5]:** [fol.22vb]

**Commented [ND6]:** inceptio add. super lin.

**Commented [ND7]:** herodem add. super lin.

natus erat, pro quo tantam prefece-  
runt absentiam. Si enim antequam uiderent ita erant eius  
accensi amore, postquam inspexerunt et fideles facti sunt a prophetis, qualiter sperauit eis  
suadere tradere puerum sibi? Sed tamen et tot existentibus quae ammouent eum, temptat. Et  
uocans occulte magos interrogauit ab ipsis. Etenim estimabat iudeos curare de puero, et non  
utique oppinatus est in tantam insaniam incidere eos, ut propter hoc procuratorem et saluatorem  
et eum qui in liberationem gentis uenerat, uellent tradere inimicis. Propterea occulte uocat, et  
querit tempus non pueri sed stellae, ex multa superhabundantia ponens insidias. Etenim ante  
multum tempus uidetur michi stella apparuisse. Quoniam enim multum in itinere erant  
consumpturi magi tempus, ut confestim cum natus esset assisterent ei, oportebat enim in ipsis  
fasciis adorare eum, ut ammirabile et inopinabile illius rei appareret, ante multum tempus  
monstrat seipsam stella. Si enim cum natus est in palestina tunc eis apparuisset in oriente multo  
in itinere morantes tempore, non utique in fasciis uidissent eum aduenientes. Si autem ab imatu  
interfecit et infra, ne miremur. Furor enim et timor pro ampliori stabilitate, et amplius apponit  
tempus, ut nullus effugiat. Vocans igitur eos ait. Abeuntes diligenter inuestigate de puero. Cum  
autem inueneritis annuntiate michi, ut et ego ueniens adorem eum. Vides amentiam? Si enim ex  
ueritate haec dicis, cur haec occulte interrogas? Si autem insidiari uolens, qualiter non  
intellexisti, quia ex eo quod occulte interrogas poterunt conicere sermonem magi? Sed quod dixi,  
anima a malicia possessa, omnibus insipientior efficitur. Et non dixit abeuntes discite de rege,  
sed de puero. Neque enim nomine principatus uocare sustinebat. Sed magi nichil horum  
intelligentes ob multam uenerationem, neque enim estimauerunt quia in tantam maliciam ille  
excessit, et ita mirabili dispensationi insidiari temptauit, abscedunt nichil horum suspicantes, sed  
ex his quae secundum seipsos erant, et omnia aliorum putantes. Et ecce stella quam uiderant in  
oriente antecedebat eos, usque dum ueniens stetit supra ubi erat puer. Propter hoc enim et  
occultata est, ut ammittentes ductorem, in necessitatem inciderent interrogandi iudeos, et  
omnibus res manifesta efficeretur. Vbi itaque interrogauerunt, et didascalos habuerunt inimicos,  
apparet rursus eis. Et intuere consequentiam optimam eorum quae efficiuntur. A stella enim  
suscepit eos iudaeorum plebs et rex, et prophetam inducunt docentem quod apparebat. A  
propheta autem rursus angelus eos accipiens, omnia edocuit. Interim autem a ierosolimis in  
bethleem per stellam ambulant, stella enim rursus et inde cum eis iuit, ut et hinc discas quia non  
multarum una haec fuit. Neque enim habet hanc naturam stella ulla. Et non simpliciter ibat, sed  
precedebat eos, trahens et ducens in die media, et quae stellae huius ex reliquo necessitas erat ait,  
cum uilla iam cognosceretur? ut et puer uideatur. Neque enim erat aliquid quod manifestaret  
ipsum. Quoniam neque domus illustris erat, neque mater clara et insignis. Necessitas igitur erat  
stellae, quae doceret eos locum. Ideoque a ierosolimis eis exsistentibus apparet, et non prius stat  
usque quo presepe assumpsit, et miraculum copulabatur miraculo. Etenim utraque paradoxa id  
est inopinabilia erant, et magos adorare, et stellam precedere, et sufficientia erant, et  
uehementer lapideos euellere. Siquidem enim dixissent magi, quod a prophetis haec audierunt  
dicentibus, uel quia angeli singulariter eis loquuti sunt, fortassis non credidissent. Nunc autem  
uisu stellae desuper apparente, etiam qui uehementer erant inuerecundi obstruebantur. Deinde  
ubi superstetit puero, stetit rursus stella. Quod et ipsum maius quam secundum stellam erat, nunc  
quidem occultari, nunc autem apparere, et apparentem stare. Hinc autem, et illi additamentum  
fidei acceperunt. Propterea et gauisi sunt, quia quod querebant inuenerunt, quia ueritatis angeli  
facti sunt, quia non inaniter tantam uenerunt uiam, ita multum quendam amorem circa christum  
habebant. Etenim ueniens, iuxta ipsum stetit caput, monstrans quod diuinum est hoc genimen. Et  
stans, ad adorationem agit eos, non simpliciter barbaros, sed et sapientiores illis. Vides quia  
decenter stella apparuit? Etenim post prophetiam, et scribarum et principum sacerdotum

Commented [ND8]: moram add. super lin.

Commented [ND9]: uel crediderunt add. super lin.

Commented [ND10]: [fol.23ra]

Commented [ND11]: uel ductricem add. super lin.

Commented [ND12]: [fol.23rb]

Commented [ND13]: uel aliarum add. super lin.

Commented [ND14]: [fol.23va]

expositionem, adhuc huic intendebant. Verecundetur marcion, uerecundetur paulus samosateus, qui nolunt uidere quae magi uiderunt, qui aecclesiae sunt progenitores. Neque enim uerecundor ita eos uocans. Verecundetur marcion uidens deum in carne adorum. Verecundetur paulus uidens non ut hominem adorum. Quoniam enim in carne erat, fasciae monstrant et presepe. Quoniam autem non ut nudum hominem adorum uident, monstrant qui in prima aetate talia dona adducunt, quae deo adducere decens erat. Verecundentur cum ipsis et iudei, barbaros et magos uidentes seipsos anticipantes, et neque post illos uenire studentes. Etenim typus erant futurorum, quae tunc fiebant. Et ex ipsis proemiis manifestabatur, quia plebem illorum preuenient gentes. Et qualiter ait non ex principio sed postea dixit, euntes docete omnes gentes? Quoniam eius quod futurum erat, ut dixi typus erat, quod accidebat et **preresonatio** quedam. Consequens enim erat, iudeos precedere primos. Quoniam autem uolentes proprium tradiderunt beneficium, econuerso res facta est. Quoniam neque hic ante iudeos oportebat uenire magos, neque eos qui ex tanto erant spatio, preassumere eos qui iuxta ipsam ciuitatem sedebant, neque eos qui nichil audierunt, preuenire eos qui cum tot prophetis erant nutriti. Quoniam autem **superhabundantur** propria ignorabant bona, hii qui a persida erant eos qui in ierosolimis erant preoccupant, quod nimirum et paulus ait. Vobis erat necessarium primum locutum esse uerbum dei, quoniam autem indignos uosmetipsos iudicatis, ecce conuertimur ad gentes. Etsi enim ante hoc non suadebantur, a magis tamen audientes oportebat currere sed noluerunt. Propterea **dormientibus** illis, hii currunt.

**Commented [ND15]:** re add. super lin.

**Commented [ND16]:** superfluo ualde add. super lin.

**Commented [ND17]:** uel sedentibus add. super lin.

**Sequamur** itaque et nos magos, et a barbara consuetudine transmutemur, et multum iter faciamus, ut uideamus christum, quoniam et ipsi nisi longe a sua facti essent regione, non utique ipsum uidissent. Desistamus igitur a terrenis rebus, etenim magi donec fuerunt quidem in persida, stellam uidebant, ubi autem destiterunt a persida, solem iusticie inspexerunt. Magi autem neque utique stellam uidissent, nisi **concupiscibiliter** inde surrexissent. Surgamus itaque et nos. Etsi omnes turbantur, nos ad domum pueri curramus. Etsi reges et plebes, et tyranni, uiam hanc impederint, non dissoluamus amorem. Ita enim omnia superiacentia mala expellemus. Quoniam et hii nisi puerum uidissent, non utique periculum quod a rege erat effugissent. Antequam puerum uiderent timores et pericula et turbationes, undique imminabant. Post adorationem autem, tranquillitas et stabilitas erat. Et non amplius stella sed angelus eos suscipit, sacerdotes ab adoratione effectos, etenim dona adduxerunt. Derelinquens igitur et tu iudaicum populum turbatam ciuitatem, interimentem tyrannum, huius uitae imaginationem, festina ad bethleem ubi est domus panis spiritualis. Etsi enim pastor eris et ueneris huc, uidebis puerum in presepe. Etsi rex fueris et non ueneris, nulla tibi erit purpurae utilitas. Etsi magus fueris hoc in nullo te prohibet, solum si ad honorandum ueneris et adorandum, et non ad conculcandum filium dei, si cum tremore et gaudio hoc feceris. Est enim haec simul conuenire utraque. Sed uide ne secundum herodem efficiaris, et dicas ut ueniens adorem eum, et ueniens interficere uelis. Huic enim assimilantur, qui mysteriis indigne participant. Reus enim qui talis est erit ait, corporis et sanguinis christi. Etenim habent in seipsis tyrannum dolentem ex regno christi, illo herode iniquiorem mammonam. **Hic** enim uult dominari. Et mittit suos proprios, adoratuos quidem fictione, occidentes autem cum adorauerint. Timeamus itaque nequando figuram quidem supplicantium et adorantium habeamus, in opere autem contraria demonstremus, et omnia a manibus proiciamus, et adoraturi, etsi aurum habemus ei offeramus, et non suffodiamus. Si enim barbari illi tunc in honorem obtulerunt, quis erit qui non tribuet necessitatem habenti? Si illi tantam uenerunt uiam ut eum qui natus erat uiderent, qualem induces apologiam tu, neque strictum foramen unum abiens, ut egrotantem uisites et ligatum? quamuis laborantium et

**Commented [ND18]:** Morale septimum, quod nocet misteria assumen indigne, et de helemosina, et de fugiendis theatris *notum in marg.*

**Commented [ND19]:** [fol.23vb]

**Commented [ND20]:** libenter add. super lin.

**Commented [ND21]:** [fol.24ra]

ligatorum, etiam inimicorum misereamur. Tu autem neque benefactoris tui et dominatoris. Et illi quidem aurum obtulerunt, tu autem uix panem das. Illi uiderunt stellam et gauisi sunt, tu autem ipsum uidens christum peregrinum existentem et nudum, non inflecteris. Quis enim uestrum per christum tantam absenciam abiit, qui infinita beneficia ab ipso accepistis, quantam illi barbari, magis autem phylosophorum sapientiores? Et quid dico tantam uiam? Multe enim mulierum ita apud nos molles efficiuntur, ut neque gressum unum superueniant, et uideant ipsum in presepe spirituali, nisi mulos ascenderint. Alii autem nichil ire habentes quia prope, hii quidem huius uitae rerum turbationem, hii autem theatra, ei qui huc est aduentui preponunt. Et barbari quidem antequam uiderent ipsum, tantam propter ipsum uiam perfecerunt. Tu autem neque ut uideas illos tango, quae et prius, et iacentem uidens in presepe derelinquis, ut mulierem in scena uideas. Quot non sunt digna haec fulminibus? Dic enim michi. Siquis te in palatia inducere promitteret, et monstrare regem **sedentem**, nunquid eligeres theatrum antequam haec uidere, quamuis nullum neque inde emolumentum habere deberes. Hic autem, fons ignis spiritualis ab hac mensa irrigat et tu hanc relinquens decurris ad theatrum uidere natantes mulieres, et naturam **exemplificatam**. Derelinquens christum iuxta fontem sedentem? Etenim et nunc iuxta fontem sedet, non samaritane loquens sed uniuerse ciuitati. Fortassis et nunc samaritane soli. Nullus enim ei ad est neque nunc. Sed hii quidem corporibus solis adsunt, hii autem neque illis, sed tamen ipse non recedit sed exspectat et a nobis petit bibere, non aquam sed sanctitatem. Sancta enim sanctis dat. Neque enim aquam a fonte hoc nobis tribuit sed sanguinem uiuentem, sed tamen mortis est **simbolum**, sed uitae factus est causa. Tu autem derelinquens fontem sanguinis calicem terribilem, ad fontem uadis diabolicum, ut natantem meretricem uideas, et naufragium sustineas animae? Aqua enim illa, pelagus impudicitie est. Non corpora faciens periclitari, sed et animas naufragari. Sed haec quidem natat denudato corpore, tu autem uidens demergeris ad impudicitie profundum. Talis enim diaboli sagena, non solum eos qui descendunt in aquam, sed eos qui desuper sedent non minus his qui ibidem uoluntantur necans et difficilium pharaone suffocat, qui cum equis et curribus tunc est ab aquis submersus. Etsi possibile esset animas uidere, multas utique uobis monstrarem his aquis supernatantes, quemadmodum tunc egyptiorum corpora. Sed et hoc est deterius, quod delectationem talem omnium interitum uocant. Et pelagus perditionis et uoluptatis **euripum** nominant, quamuis facilius aliquis aegaeum et tyrrenum transcurreret pelagus cum stabilitate et facilitate quam inspectionem hanc. Primum enim per totam **noctem** **preassumit** expectatione animas diabolus, deinde monstrans quod expectatum est, ligauit confestim et captiuos fecit. Nunquid enim quoniam non mixtus es meretrici purus esse estimas a peccato? Per concupiscentia enim, totum perfecisti. Si enim a concupiscentia possideris, maiorem flammam accendisti. Si autem nichil pateris ab his quae uidentur, maiori es accusatione dignus, aliis scandalum factus, et inspectionum harum prepositor, et tuum confundens uisum et animam. Sed ut non solum increpemus, etiam modum excogitemus directionis. Quis igitur erit modus? Mulieribus uestris tradere uolo uos ut ipsae uos erudiant. Oporteret enim secundum pauli sermonem, uos esse didascalos. Quoniam autem per peccatum ordo euersus est, et superius quidem corpus, inferius autem caput factum est, saltem hanc eligamus uiam. Si autem uerecundaris didascalum habens mulierem, fuge peccatum, et poteris ex tunc ad thronum ascendere qui a deo tibi datus est, quia quousque deliqueris, non ad mulieres solum sed et ad irrationalia uiliora, mittit te scriptura, et non uerecundatur eum qui ratione honoratus est, formice discipulum mittens. Non enim est hoc scripturae accusatio, sed eorum qui ita suam tradiderint ingenuitatem. Hoc utique et nos faciemus, et nunc quidem te mulieri trademus. Si autem hanc contempseris, et ad irrationalium scolas te mittemus, et monstrabimus quot quidem aues, quot

**Commented [ND22]:** [fol.24rb]

**Commented [ND23]:** uel traductam *add. super lin.*

**Commented [ND24]:** id est signum *add. super lin.*

**Commented [ND25]:** quod paruum pelagus *add. super lin.*

**Commented [ND26]:** [fol.24va]

**Commented [ND27]:** ante *add. super lin.*

autem pisces, quot autem quadrupedes, et reptilia, te honestiora et magis sobria apparent. Si autem uerecundaris et rubes de comparatione, ascende ad propriam ingenuitatem, et gehenne pelagus, et ignis flumen fuge, eam quae in theatro est piscinam. Ipsa enim piscina, illud pelagus preparat et abyssum illam flammae accendit. Si enim inspicit mulierem ad concupiscendum, iam mechatus est, **qui** et nudam cogitur uidere, qualiter non milies captius efficitur? Non ita quod in noe fuit diluuium hominum destruxit genus, ut haeae quae natant, omnes qui illic sunt, cum multa suffocant confusione. Illa enim pluuiua, etsi mortem operata est corporis, sed tamen animae incide maliciam. Haec autem contrarium facit, corporibus manentibus, animam destruit. Vos autem cum de primatu quidem fuerit sermo, dignos uos estimatis, omnibus qui in toto orbe terrarum sunt presidere, quoniam ciuitas nostra omnium prima christianorum induta est nomen. In sobrietatis autem agone et a uilibus ciuitatibus uicti non confundimini. Et quid iubes facere, montes assumere et monachos fieri? Propterea enim ingemisco, quoniam solis illis estimatis congruere honestatem et sobrietatem. Et profecto christus, communes leges posuit. Etenim cum dicit, si quis inspexerit mulierem ad concupiscendum, non monacho dicit, sed et mulierem habenti. Etenim mons ille, tunc omnibus talibus plenus erat. Intellige igitur theatrum illud, et hodie habe hoc diabolicum, et ne accuses sermonis huius grauitatem. Neque enim prohibeo nuptias, neque impedio gaudere, sed cum sobrietate hoc uolo fieri, non cum uerecundia et accusatione. Non precipio montes assumere et solitudines, sed benignum esse, et mitem, et sobrium, mediam habitantem ciuitatem. Etenim omnia legis nobis communia sunt ad monachos, preter nuptias. Magis autem et in his iubet paulus **omnino** coequeri eis dicens, inducit formam mundi huius, ut et qui habent mulieres, sint ut non habentes. Quare ait non iubeo uertices montium assumere? Volebam enim, quia ciuitates imitantur ea quae in sodomis efficiebantur. Verumtamen non cogo in hoc. Per mane, domum habens, et mulierem et pueros. Sed ne conuicieris mulierem, neque traducas pueros, neque induc in domum, iacturam quae est a theatri. Non audis paulum **dicentem**, uir non habet potestatem sui proprii corporis sed mulier, et communem utrisque ponentem leges? Tu autem siquidem in aecclesiam continue intrauit mulier, grauis accusator efficeris, ipse autem in theatri per totam diem morans, non estimas accusatione dignus esse? Sed circa mulieris sobrietatem ita diligens es, ut et superfluum et immensuratum sis, et neque necessarias impensas concedas, tibi ipse autem estimas omnia licere? Sed non permittit tibi paulus, qui et mulieri eandem potestatem tribuit. Et mulieri enim ait uir debitam bonam uoluntatem reddat. Qualis igitur hic honorem, cum in maximis eam iniuriatus fueris, et corpus eius meretricibus tribueris, tuum enim illius corpus est, cum tu multus et turbationes et prelia induxeris in domum, cum talia feceris in foro, quae enarrans in domo, confundis quidem audientem mulierem, confundis autem presentem filiam, et ante illas teipsum? Necessesse enim est uel tacere, uel talia, in deformia non enarrare, in quibus et famulos loquentes flagellare iustum esset. Quam igitur habebis apologiam dic michi, quae neque dicere est bonum haec uidens cum multo studio quae enarrare indecens est, haec omnibus preponens? Interim igitur ut non efficiar grauis, hic soluam sermonem. Si autem in eisdem immoramini, acucius ferrum faciens, profundiosem dabo incisionem, et non quiescam donec dispergam diaboli theatrum, puram faciens aecclesiae congregationem. Ita enim et a presenti confusione liberabimur, et futuram fructificabimus uitam. Gratia et misericordia domini nostri ihesu christi, cui gloria et imperium in secula seculorum amen.

Commented [ND28]: [fol.24vb]

Commented [ND29]: per omnia add. super lin.

Commented [ND30]: [fol.25ra]